



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

LIII. Erzbischof Adenulphus und andere ertheilen dem heil. Geist-Hospital
vor Salzwedel einen Ablass, ab 30. September 1300.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

LIII. Erzbischof Adenulphus und andere ertheilen dem heil. Geist-Hospital vor Salzwedel einen Ablass, am 30. September 1300.

Uniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis Nos miseracione diuina Adenulphus, archiepiscopus Coufanus et Laudo Nolanus, frater Anthonius Chenadiensis, Nicolaus Tridentinus salutem in Domino sempiternam. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno fauore prosequitur, cum deuota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuuatur. Cupientes igitur, ut hospitale sancti Spiritus extra muros Soltwedele ordinis sancti Augustini Verdenfis dyoc. congruis honoribus frequentetur et a Christi fidelibus iugiter veneretur, Omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ipsum hospitale in festiuitatibus ipsius sancti Spiritus nec non Natiuitatis, Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes Domini nostri Jhesu Christi ac eciam Natiuitatis, purificationis, Annunciacionis et assumptionis beate virginis ac in dedicacione hospitalis eiusdem sanctorumque Augustini, Andree, Iohannis baptiste et Euangeliste, beatorum Nicolai, Christofori et Cyriaci et beatarum Katherine, lucie et Marie Magdalene, quorum altaria inibi dedicata existunt, deuocionis et oracionis causa acceperint annuatim, Aut qui ad fabricam, reparaenta, luminaria et ornamenta ipsius hospitalis ac alia caritatis subsidia manus porrexerint adiutrices, Et ad eius cimiterium accedentes oracionem dominicam dixerint pro animabus defunctorum sepultorum ibidem, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius meritis et auctoritate confisi, singuli singulas dierum quadragenas de iniunctis sibi penitentiis misericorditer in domino relaxamus, dummodo diocesani voluntas ad id acceperit et consensus. In cuius rei testimonium presentes literas sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Datum Anagnie, Anno Domini Millesimo CCC., Indictione XIII, die XXX Septembris, pontificatus Domini Bonifacii pape octaui Anno sexto.

Danneil's Kirchengeschichte der Stadt Salzwedel S. 7.

LIV. Markgraf Hermann verordnet, daß adliche Einwohner Salzwedels gleich den übrigen die bürgerlichen Lasten zu tragen haben, am 6. Mai 1301.

In nomine Domini Amen. Nos Hermannus, dei gratia marchio Brandenburgensis et Dominus de Hinneberge, Notum facimus uniuersis presens scriptum uisuris et auditoris, quod maturo nostrorum uasallorum consilio statuimus firmiter obseruandum, ut omnis miles seu armiger siue eciam uidua militaris, qui in ciuitate nostra Saltwedele mansionem habere decreuerit, uigilias et exactionem, schot dictam, faciet et dabit pro hereditate sua et aliis bonis, que in ciuitate habuerit, eque aliis nostris burgenfibus in ciuitate habentibus mansionem, excepta tamen curia ante castrum, que est Bodonis de Knesbeke, Curia apud fratres, que fuerat Domini Weneri retro turrim, Curia, que fuerat Domine Conegundis de Knesbeke, Curia Domini Weneri de Sculenborch excepto, quod ademptum est, et Curia Domini Sifridi de Walltave excepto, quod ademptum est. Hujus nostri rationabilis facti testes sunt nobilis Henricus Comes de Luchowe,